

quod , summo totius christianæ reipublicæ damno foede capta , ac disjecta Hispanorum classe , communes hostes majora incrementa sumpturos , per cuncta maria libere debacchaturus intelligenrent . Et vero iis omnibus , quorum ad maris litora ditiones protendebantur , infueto pavore perculsis , illorum avaritia , atque sitis inexplebilis coerceri , aut sedari nequivit , qui piraticam exercendo , negotiatores aggredi consueverant . Inter hos Andreas Lenus , Fruzzascii Comes , e Sabaudi ditione , navigio instructo , Nicæa egressus , haud parva detrimenta Venetorum rebus intulit . Neque absimili instituto Philippus Cicala Ligur , summi nominis pirata , in nostros sævit , ac prædas egit . De Leno cum Emanuele Senatus conquestus , quæ illata ab eo damna fuerant , farciri Allobrox iussit . Cicalam Christophorus Canalis persecutus , circa Siculum fretum , myoparone prope naufragio absumpto , periclitantem cepit ; captum Venetias misit ; Senatus iussu in vincula coniectus carcere per aliquot menses detentus , tandem summis precibus Pontifice , ac Cardinali divi Clementis ejus patruo adnitentibus , iis legibus in eorum gratiam libertati est restitutus , ut prius nostrorum incolumitati prospiceret .

Dum hæc fiunt , in Gallia repressa conjurationis initia sensim se efferre , ac rursus per provincias erumpere incipiunt , ut jam prope ad desperationem deductæ res viderentur ; tantumque vel animorum pervicacia elati , vel procerum nonnullorum favore , & gratia subnixi factiosi homines provehebantur , ut nullis legum frenis coerciti , pro libidine imperarent ; templa per summum scelus contaminarent ; in publicis locis coetus cogerent ; depravata religione , Regis imperium excutere niterentur . Porro qui vetera repetebant , atque concitata multitudinis fluctus expendebant , quonam virus per omnes nobilissimi regni artus diffusum evaderet , taciti meditabantur . Germaniam in complures sectas divulsam ; Angliam a catholica Ecclesia sejunctam ; Scotiæ regnum consimili amentia captum ; Galliam tumultuantem ; Hispaniam , in qua adhuc Mauritanæ stirpis homines voce tenus Christiani , corde judaicos ritus retinentes degerent , plerisque in locis eodem morbi genere correptam ; Belgium haud absimili flamma contactum : quænam superesset provincia , Italia excepta , ad quam

1560

*Philippus
Cicala Li-
gur pirata a
Christophoro
Canali
capitur .*

te-